



**De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et  
Principis Monasteriensis Decas**

**Alpen, Johann von**

**Coesfeldiae, 1694**

16. C. B. celebrat Synodum Generalem. Wiedenbruckius ablegatur  
Francofurtum. Cæsar Commissarios nominat Osnabrugensem &  
Neoburgicum. Furstenbergius abit Romam. Redeunti Vierdenhalvio  
intercluduntur ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68495)

1655.

16.

Christo-  
phorus  
Bern.  
celebrat  
Synodū  
Genera-  
lem.

Wieden-  
bruckius  
ablega-  
tur

Franco-  
furtum.

Cæsar in  
causā

Monas-  
teriensi

Commis-  
sarios  
nominat.

Fursten-  
bergius  
vadit  
Romam.

Et si Princeps fundandæ sic arci in-  
tentus erat, haud tamen ideo deposuit sa-  
crorum curam, sed ad quartum Idus Octo-  
bris indictam toti Clero Synodum Genera-  
lem solennissimo ritu, & exquisito appara-  
tu præsens ipse Monasterij celebravit, mul-  
tâque in eâ statuit salubriter ordinata di-  
vino honori promovendo.

Missus interea *Francofurtum* ad de-  
cretam Deputationis diem *Wiedenbruc-*  
*kius*, dum sedulò curat, quæ Imperij  
funt, pari contentione *Furstenbergius* &  
*Vierdenhalvius* Viennæ agunt, hic Ci-  
vitatis, ille Principis sui causam. Tandem  
Imperator *Moguntinum* & *Trevirenses*  
ArchiEpiscopos nominat componendæ rei  
arbitros; sin minus, evocatis utrinque  
partibus jura cujusque examinent, cau-  
samque plenius instructam submittant Cæ-  
sareæ decisioni.

Monasterienses neutrum quidem pa-  
lam suspectum allegare ausi, certi tamen,  
quâ autoritate is *Moguntiam*, hic *Tre-*  
*viros* possideret, supplices institerunt,  
Episcopus *Osnabrugensis* & Dux *Neobur-*  
*gicus* ut designatis jungerentur. Preci-  
bus eorum annuit Imperator, & utrumque  
pari cum potestate prioribus adjunxit. Co-  
gnitâ jam Cæsaris voluntate Ablegatus uterq;  
reditum parat. Et *Furstenbergius* qui-  
dem, quod ab *Alexandro septimo* summo  
Pon-

Pontifice invitatus Romam festinaret, nullo negotio redux, expeditione Principi relatâ, & assumptis Paderbornâ sacris D. Liborij Lypsanis, Pontifici calculo laboranti desideratis, Italicum iter ob instantem hyemem maturavit.

At verò cum *Vierdenhalvius* corpore juxtâ ac senio gravis in viâ tardior, avidos gestæ rei civium animos diu sustentaret, scripsit ad Senatum, Populûmq; Morasteriensem Princeps; quod contra *pactam Schonefliti conditionem, non sine sui despectu, publicis se ingesserit Vierdenhalvius; litique à Procuratore Fisci intentata ac Jurisdictioni sua se subduxerit; imò valem prahensans legationem, in abitu territorium violârit; non posse se illi, priusquam jure se purgârit, tutum ad Urbem reditum permittere, sed hominem libero per terras suas commeatu interdici.* Exindè viâ & milite, & rustico totâ patriâ intercluduntur. *Susatam* jam tum pervenerat; isthic Magistratus ac plebs subsistere viro persuadent, donec liberio rem permitteret transitum propior spes securitatis. Nec enim interim passuros se unquam spondent, ut in Principis potestatem dilabatur; aut profectò, si fortè intercipi contingeret, conclusis Urbe Consiliariis ac ministris parâ relaturos.

*Redeunte Vierdenhalvio intercluduntur via.*

*Subsistit aliquâ diu Susati,*

378

Inter